AD

HONORABILEM ORNATISSIMUMQUE VIRUM

ROBERTUM TREVORO-HAMPDENIUM

RICARDI POWNEI

EPISTOLA PARÆNETICA.

OXONII

E THEATRO SHELDONIANO.

MDCCLV.



A D

HONORABILEM ORNATISSIMUMQUE VIRUM

ROBERTUM TREVORO-HAMPDENIUM

RICARDI POWNEI

EPISTOLA PARÆNETICA.

IMMENSAS det opes aliis, aut jugera culti
Mille soli, aut titulos & honores Jupiter amplos
Progeniemque Domumque: mihi, charissime rerum,
HAMPDENI, Te fata mihi cœlique benignus
Concessit favor; & reliquis præ fecit amicum:
Ipse Deos neque plura rogem aut meliora volentes.
Tene meis igitur cupienti includere chartis
Fas mî æquumve siet? neque dedignabere nomen
Versibus & famam (si qua est ea Gloria) nostris?
* Ille dies abiit, mihi quo majora canenti
Spes erat, ut Vatum fœcunda *Britannia* tandem
Me quoque plus uno pateretur vivere Seclo

* Vid. Templum Harmoniæ.

Exemptum

Exemptum tenebris. Quanquam Tibi cognitus, & non
Ingratus; quid Ego ad decus immortale requiram
Amplius, aut duri reprehendam incommoda Secli,
Quo neque dignus honos, sacris neque Gratia Musis?

Scire laboranti, ut valeas, ut tempora gnavus
Dividis, imperti, nostræque medebere curæ.
Interea accipias, quod vanus amiculus optat,
Qui crepat elapsas transacti temporis horas
Sæpius: O! quæ nos vitæ fortuna priori
Teque mihi referat maturius: O ubi qui nos
Sistat ad altrices ripas, atque *Isidis* undam
Per loca Musarum labentis & otia dia!

Hic divina suam posuit Sapientia sedem,
Hìc habitat secura Quies; hic cognita paucis
Libertas, potiorque auro luxuque Potentûm
Sobria pauperies; parvoque assueta Juventus,
Infra naturæ didicit quæ vivere fines,
Communes epulas, communia pocula curat;
Mane Deum recolens vegetis ad munia surgit
Ingeniis animisque, suosque revisit amores,
Aut libros Veterum assidue, aut monumenta revolvens
Priscorum Heroum, & vitæ melioris in usum
Aurea delibans monita, interiusque reponens;
Aut inter salices, ripisque arbusta sonoris



Consita

Consita condit opus varium, Nymphasque Sorores
Invocat, & justis haud aspera Numina Votis.

O! Ædes Aræque Deûm! mihi si modo fata
Annuerint spatium angustæ decurrere vitæ
Rursus, ut ex Voto legerem quoscunque sodales;
His me deliciis, his consolatus amicis,
Ambitione relegatâ sic leniter ævum
Sic agerem O! Superi, ac cuperem remeare peractum.

Ast majora tuam & diversa Negotia mentem
Divorsûm retrahunt: Conjux Te Conjuge felix
Usque sinu fovet, ac multâ Te prole parentem
Pulchra beat: Tua nec jam res privataque solum,
Publica sed Patriæ, sed Cæsaris ardua jussa
Sive domi peragenda manent Te militiæve.
Ac Gentes rursum si belli infestet *Erinnys*;
Haud mora, ceu quondam, decus officiumque resumes
Ipse Oratoris bene notum; iterumque ciebis
Heu! nimium segnes socialia ad arma *Batavos*.

Quicquid agis, summæ lucent in pectore dotes;
Crescentemque super fortunam Di Tibi mitam
Temperiem dederunt, animumque ad grandia natum.
Macte Deûm donis igitur, rebusque secundis,
Ut par est, lætare datis; nec quæ Tibi largâ

Obvenere

Obvenere manu, quod iniquum eſt, utere parcâ.
Scilicet una dies fatorum lege ſeverâ
Auferet illa Tibi, Te Nobis; ocius ergo
Carpe diem, ut vates cecinit Venuſinus; & ævi
Damna brevis reparet præſens, tibi dum licet, hora.

Seu *Varvicenſes* petis agros omine fauſto,
Fortunatorum Nemorum ſedeſque beatas,
Quas bonus ac placidus coluit prænobilis Hoſpes,
DIGBEIUS, mentem exſuperans, & Neſtoris annos.

Seu libet arctoos *Anglorum* viſere fines,
Quà *Vedra* antiquum ſinuoſo flumine lambit
CUTHBERTI tumulum, chariquè palatia fratris;
Cui meritam cingunt frontem redimicula *Mitræ*,
Quemque ornat ſociatus honos Sceptrique Pedique.

Quo Te cunque feras, Proavis ingentibus orte,
Cognatis nec juncte minoribus, uſque Tuorum,
Uſque memor vivas Te reſpicientis amici;
Et tenuis muſæ ſupremum hoc munus habeto.

